



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 225. An sit obligatio orandi cum spe vel fide.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

internam in Horis; & ratio hic specialis est, quia in hoc est specialis indecentia, cum circumstantia necessaria orationis sit reverentia & submissio ad Deum; ideoque *Med.* putat per hoc peccari mortaliter, *Corduba* autem venialiter tantum, quod videtur probabilius.

Q. 225. *An sit obligatio orandi cum spe vel fide.* 1349
 R. Negative, nam spes tantum est necessaria ad impetrandum, uti notant *Suar.* de Relig. T. 2. l. 1. c. 24. *Fil.* t. 22. n. 255. *Côn.* de spe d. 19. n. 117. Nec plus videtur velle *Becan.* de spe c. 17. q. 7. n. 7.; spes autem non est necessaria ad orationem, prout hæc est laus & cultus Dei, uti nec fides, nam Deus à beatis laudatur & colitur, licet ab his absit omnis, actualis saltem fides ac spes: potestque etiam esse oratio, prout est petitio, quamvis absit ita expressa fides ac spes, rectè enim dicit *Castrop.* t. 5. p. 4. n. 3. & *Escob.* in Th. mor. l. 48. n. 86. sufficere spem implicitam & virtualementem, quæ semper adsit, si petatur aliquid, quia si non esset spes obtinendi, non peteretur. Nec dicas orationem debere esse supernaturalem, ideoque præsupponendam fidem & spem, secundum dicta l. 2. à n. 21. Nam oratio potest esse actus planè naturalis, imò & peccaminosus, v. g. si quis oret ex vana gloria vel distractè, per talem autem orationem naturalem satisfieri præcepto docet expressè *Suar.* supra l. 3. c. 3. n. 5., addens neminem hoc negare.

Q. 226. *Quanam specialiter pro scrupuloso hic sint notanda.* R. Seqq. 1350

§. I. Qui recitavit, non potest prudenter dubitare de habita intentione sufficiente ad satisfaciendum, secundum dicta à n. 1326. Statque intentio requisita cum distractione etiam voluntaria, & quamvis per distractionem amissa esset, sufficienter redit